Matz - De Philostratorum in Describendis
Imaginibus Fide - 1867

DE PHILOSTRATORVM IN DESCRIBENDIS IMAGINIBVS FIDE.

SPECIMEN PRIVS.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE

IN VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ET VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE X MENSIS AVGVSTI ANNI MDCCCLXVII

PVBLICE DEFENDET

FRIDERICVS MATZ

LVBECENSIS.

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT:

LEOPOLDVS SCHMIDT ALTONANVS.
ERNESTVS BROICHER COLONIENSIS.
CAROLVS ALDENHOVEN RENDSBVRGENSIS.

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGI

MDCCCLXVII.

OTTONI IAHNIO

ANTONIO SPRINGERO

PIETATIS CAVSA

OTTONI IAHNIO

ANTONIO SPRINGERO

PIETATIS CAVSA

Philostratorum imagines duplicem in se continere indolem, neuter virorum doctorum, a quibus nuper gravissima de eis prolata sunt iudicia, prorsus negavit, licet in definiendo quam late utraque pateat in diversissimas discesserint partes. ut enim Friederichsius, qui Passowii[1] amplexus opinionem illas declamationes mera habet sophistarum commenta, concessit, hinc inde rhetores spectata figmentis immiscuisse[2], ita Brunnius[3], qui acerrimus Philostratorum exstitit propugnator, sub ipso fine commentationis non dissimulavit, se de prorsus incorrupta *rhetorum* fide addubitare.

Ornamenta rhetorica hinc inde resecanda esse iam Heynius senserat, negaverat post eum Welckerus[4] in iudicio suo, quod editioni Iacobsianae praefixum est: nullum per totum librum rhetorum additamentum certum et apertum inveniri affirmans (p. LXVI). sed virum summum

1 Verm. Schriften p. 223 sqq. priorum sententias recensuere Welckerus et Iacobsius in praefatione editionis ab ipsis paratae p. XVII sq. et p. LV sqq., deinde Kayserus in commentariolo, cui inscriptum est De pinacotheca quadam Neapolitana p. 5 sqq. cf. praef. editionis Turicensis p. III—VI.

2 Cf. Friederichsium Die Philostr. Bilder p. 144, 164, 167, 189, 200 et Nachtraegl. z. d. Phil. B. in Annall. Fleckeisen. a. 1863 p. 179 sq.

3 Cf. Brunnium Die Philostr. Gemaelde (Annall. Fleckeis. vol. suppl. IV p. 301).

4 In narratione imaginum ipse perpaucos excipit locos: 247, 372, 422, 631.

non eandem prorsus, quam ante hos quadraginta annos professus est, retinere sententiam, probant, quae nuper (ephem. arch. a. LXV p. 57. kl. Schr. V p. 216) de quarta libri alterius imagine disputavit. audacius enim quam antea progrediendum esse ratus: speculas, prata, nymphas, quae in illa imagine Hippolytum moribundum deplorare dicuntur, ut elegantias e poetarum arculis depromptas reiicit, multa alia quoque huius generis commenta ex hisce descriptionibus eximi posse arbitratus.

Item, stamen ubique verum subesse, licet interdum assutae et intertextae sint rhetoricae elegantiae, Bursianus censet in Annall. Fleckeis. LXXXVII p. 105 sq. neque aliter iudicat Gaedechensius in Glauco p. 80 sqq.

Dubitantius sententiam proferunt Kluegmannus [1] et Helbigius [2], cum Ruhlius [3], Kekuleius [4], Feddius [5], Stephanius denique, qui paullo uberius de tota quaestione disseruit (Compte Rendu a. LXII p. 119 sqq.) ad Friederichsii iudicium inclinent.

In tanta sententiarum diversitate, cum ne Brunnius quidem dubitatione prorsus nos eximere ausus sit, haud infructuosum visum est, totius quaestionis eam partem accuratius retractare, quae examinando rhetorico ornatu continetur [6]. nam neque post Welckeri, Friederichsii, Brunnii, aliorum operam multa me afferre posse putaverim ad alteram promovendam, quae artis monumentorum poscit comparationem; et altera, cum vel Friederichsius raro tantum communem sophistarum in dicendo usum respiciat [7],

1 Annali dell' inst. anni LXIII p. 118.

2 Symboll. philolog. Bonn. p. 371.

3 Arch. Ztg. XVIII p. 92 sqq.

4 De fabula Meleagrea p. 33 n. 1.

5 De Perseo p. 42 sqq.

6 Cf. de hac re Brunnium l. l. p. 181.

7 Nescio qua verecundia laudet »serioris aetatis scriptores« p. 8 et p. 174.

iusto diutius neglecta iacuit. est autem hoc ea de causa maxime dolendum, quod, nisi rhetoricum, quod dicunt, involucrum accurate cognitum et perspectum habemus, sophisticarum accessionum, quam flagitant vv. dd. secretio, certo unde proficiscatur fundamento caret. atqui ex huius ornatus iusta aestimatione utilitas descriptionum Philostratearum praecipue pendet. semper enim id tenendum est, repertis monumentis vel plurimis, quae eis convenirent, non eum in modum augeri posse rhetorum auctoritatem, ut non ea, quae inde lucrati videbamur — scilicet res, quarum cognitionem eis solis debemus — statim in summam devocentur dubitationem vel unum figmentum apertum si deprehenderimus, nisi forte — id quod sane optabimus — segregare id certa et haud dubia ratione contigerit.

Non iam hic dicam de Friederichsii sententia infra accuratius examinanda, qui ornamenta non extrinsecus tantum applicata esse orationi vult, sed ipsa descriptionum argumenta a poetis nonnunquam petita affirmat; nam, ne audaciores videamur, primum in earum, quas prius dixi, accessionum naturam inquirere placet, ut intellegatur, utrum revera semper tam facile abstergi vel eximi possint, an veluti in ulceribus interdum de vivo aliquid sit resecandum. qua quaestione soluta multo confidentius ad difficiliorem illam accedere possumus, quae est de intestino illo morbo prorsus insanabili, quem Friederichsius investigasse sibi visus est.

Sed antequam ad ipsas imagines transeamus, quaerendum videtur, num aliunde in universum aliquid statuere liceat, quod nobis in aestimanda fide et indole harum descriptionum, utilitatem aliquam praestare possit, undeque, quid fere ab illis exspectandum sit, intellegatur. neque Brunnius hanc praetermisit quaestionem, cum in extrema commentatione (p. 300), quam de imaginibus protulerit sententiam, confirmari affirmat, et descriptionum sophisti-

carum, quas nonnullas praeter Philostrateas fortuna servavit, et ipsius Senioris Philostrati, quae praeter imagines exstant, scriptorum comparatione [1]. sed cum pro fine libelli abstinuerit inquirendi in illam rem nobiscum communicare rationem, integram nobis quaestionem reliquit; nam praeter eum de fide illorum librorum, quatenus eis ratio intercedat cum imaginibus, nemo quantum scio quaesivit, neque qualis fere artium Philostratis fuerit cognitio quidve ab ea in imagines redundarit, inter archaeologos constat.

Brunnius [2] eum vocat artis operum studio haud mediocriter occupatum, neque aliter iudicaverunt Passowius [3] et Eduardus Muellerus [4], cum Friederichsius ne flocci quidem faciat neque iudicium sophistae neque artium eius cognitionem [5].

1 Praeter Vitam Apollonii, Heroicum, Sophistarum Vitas, ad rem faciunt Epistolae et Gymnasticus, quem genuinum habeo. ex scriptis Iunioris solus quidem imaginum liber isque mutilus, ut videtur, aetatem tulit, sed quae de altero statuantur in alterum quoque quodammodo quadrare non iam dubium esse potest. cf. Iacobsium praef. VI et Guttmannum de Olympionicis apud Mynae Phil. p. 4. Passowium Verm. Schr. p. 226.

2 Gesch. d. gr. K. II p. 278.

3 Verm. Schr. p. 235.

4 Gesch. der Theorie d. K. II p. 316 sqq. et in commentatione quam nuper de Apollonio Tyanensi scripsit (Liegn. 1861) p. 22.

5 Sic vix in Nili Senioris imagine, (I, 5) quem frequentissime eundem in modum atque Philostratus eum describit, repraesentatum fuisse constat (cf. Lucian. Rh. praec. 6 ἤ που τὸν Νεῖλον εἶδες γραφῇ μεμιμημένον κτέ) spectati aliquid subesse concedit. cf. Nachtr. p. 179 *sei es nun dass Ph. eine solche Darstellung selbst gesehen oder von einer solchen gehört oder gelesen.*

cf. p. 62, p. 15, p. 167, p. 200: *In den Kunstwerken seiner Zeit aber sich umzusehen und mit ihrer Hülfe seinen Fictionen den Schein der Wirklichkeit zu geben, verschmähte der Rhetor, aus Eitelkeit wie ich glaube.* De iudicio eius et intellegentia cf. p. 201.

Sed iam omissis, quae de differentia inter descriptiones sophistarum et periegetarum[1] intercedente vv. dd. verissime disputaverunt[2], ad illarum ipsarum recensum nos convertemus, ut intellegatur, utrum iure, quae de illis iudicia facienda quaeque postulanda sunt, continuo ad Philostrateas imagines transferre liceat, necne.

Atque antea unum descriptionum genus removendum videtur, quod in philosophorum disciplina natum, vel novissimis antiquitatis temporibus a sophistis usurpatum est. ut enim proprium est ecphraseos vere sophisticae, ut omnibus orationis lenociniis ipsorum artis operum varietatem exaequare studeat, sic huius generis conditores tantum abest, ut decertent cum artificibus, ut etiam externum ut ita dicam habitum ab his ipsis mutuentur. nimirum imaginandi legentium vim adiuvare volebant, philosophicis notionibus, quam Graeci vocant ἐνάργειαν, deesse sentientes; id quod eo facilius factu erat, ut verissime animadvertit Welckerus[3], ex quo allegoricarum figurarum apud pictores et statuarios frequentior fieret usus.

Hinc Cleanthis imago, quam teste Cicerone (de finibb. II c. 21) verbis depingere solebat: Virtutes exhibens Voluptati pulcherrimo vestitu et ornatu regali in solio sedenti, ut ancillulas ministrantes. hinc Cebetis illa tabula, quae, licet veteri illi Socratico sit abiudicanda, certe ante aeta-

1 Ex ungue leonem cognoscet, qui perlegerit fragmentum Polemonis ex libro contra Adaeum et Antigonum conscripto, quod servavit Ath. XI p. 484, b, c (fr. ed. Preller. LX).

2 Heyn. op. V sq. Welck. pr. p. LXIX. Brunn. p. 193 sq.

3 Kl. Schr. II p. 483. cf. Virtutis immagines a Parrhasio, Euphranore, Aristolao confectas, Occasionem Lysippi, Apotheosin Homeri ab Archelao exsculptam, denique Apellis picturam a Luciano (Cal. non tem. cred. 5, Brunn. Gesch. d. gr. K. II p. 207) descriptam, quam Bluemnerus in Studiis Lucianeis p. 42, ut frigidam et tanto pictore indignam Ephesio artifici abiudicat.

tem Luciani[1] litteris consignata est. similem descriptionem Dio quoque Chrysostomus in primam orationem (or. I p. 14, 24 sqq. ed. Ddf.) inserit in duplici montis alicuius cacumine *Βασιλείαν* et *Τυραννίδα*, multis utramque allegoricis circumdatam figuris, sedentes fingens. vel ipse Lucianus diserte Cebetis laudans consilium, talibus imaginibus dissertatiunculas suas ornat. sic in commentatione, quae mercede conductos perstringit, miseram talium hominum conditionem ante oculos proponit, cum in Rhetorum didascalo (c. 6) artis rhetoricae cum illecebras tum vanitatem adumbret. ut autem in hac altera descriptione nonnulla ad res in picturis spectatas conformare videtur[2], sic veri quicquam subesse prorsus negandum est, infacetae Gallici[3] Herculis adumbrationi (c. 3 sq.), quem homines auribus alligatos lingua secum trahentem fingit.

Dionis locum a Themistio expressum esse Welckerus[4] animadvertit. similiter Choricius Gazaeus (ed. Boiss. p. 127) si sibi Zeuxidis esset ars *Ἀρετὴν*[5] et *Ἀρχὴν* cum hominibus, quos laude celebrat, consociatas, se picturum dicit.

Himerius denique in ecl. IV p. 118 Wernsd. ut causam enarratam uno obtutu oculis iudicum subiiciat, pictorem — cuius partes ipse deinceps suscipit — rem totam in area imaginaria per scenas digestam adumbrare iubet. In omnibus his descriptionibus, licet inter se paullo

1 Cf. Luc. Rh. praec. 6: ὥσπερ ὁ Κέβης ἐκεῖνος εἰκόνα γραψάμενος τῷ λόγῳ. cf. de merc. cond. 42.

2 Cf. ἐπαίνων Rhetoricam circumvolitantium cum cubitis in Nili imaginibus pictis comparationem. (cf. Dio Chr. Or. I p. 15, 19, qui βασιλείαν in solio sedentem vestitam dicit ὁποίαν μάλιστα τὴν Ἥραν γράφουσιν.)

3 Cf. Bluemn. l. l. p. 82 n. 1.

4 Kl. Schr. II p. 488.

5 Cf. Q. Smyrn. *E*, 50 sq.

differant, ut finis fictionis sic ipsa fictio patet. nec tantum inhaerent arcte, quibus insertae sunt, orationibus, sed etiam sententiis ibi prolatis ipsam originem debent.

Sed iam ad eas descriptiones venimus, quae non tam ad illustrandam aliquam sententiam inventae sunt, hinc inde artium memoria distinctae, sed ipso argumenti plerumque delectu verorum operum ἐκφράσεις haberi se velle, manifestum faciunt.

Quaerenti autem, quo tempore hoc artium describendi studium initium ceperit, ultra alterum p. Chr. n. saeculum recedere non contigit. convenit temporum indoles, quibus et picturae plasticaeque studium redintegratum esse constat, et ipsa sophistice declamandi ars, eas sibi virtutes comparasse visa erat (poetarum pratis, quae vocant, depastis et expilatis [1]), quibus scalpri et penicilli opera reddituram se esse sperare poterat. id enim, ipso quidem initio verecundior, magis magisque appetebat; nec non quae apud progymnasmatum scriptores comparent praecepta ad hanc rem faciunt [2].

Atque revera talem descriptionum evidentiam atque splendorem ab ecphrasta exspectatum fuisse vel ex excusatione apparet, quam Lucianus praemittit, ubi in eo est, ut splendidae domus picturas describat cf. c. 21: *τὸ χαλεπὸν δὲ τοῦ τολμήματος ὁρᾶτε, ἄνευ χρωμάτων καὶ σχημάτων καὶ τόπου συστήσασθαι τοσαύτας εἰκόνας· ψιλὴ γάρ τις ἡ γραφὴ τῶν λόγων* [3].

Quanto confidentius Aelianus (V. H. III, 1) [4] constare

1 Cf. Phil. ed. Iac. et Welck. praef. XVI et LXIV.

2 Cf. Hermog. *περὶ ἐκφράσεως* Rh. II p. 16, 34 ed. Speng. *ἔτι μέντοι συνεξομοιοῦσθαι τὰ τῆς φράσεως ὀφείλει τοῖς πράγμασιν. ἂν ἀνθηρὸν τὸ πρᾶγμα, ἔστω καὶ ἡ λέξις τοιαύτη κτέ.* cf. ib. II p. 47, 5. II p. 119, 30 et III p. 493, 11.

3 Cf. Imagg. c. 8 et de merc. cond. c. 42.

4 V. H. III, 1: *ὡμολόγηται γὰρ καὶ ὁ λόγος, ἐὰν ἔχῃ δύναμιν*

dicit ecphrasticam orationis virtutem non debiliorem esse quam artificum manum; neque aliter iudicat Himerius (or. XXV 1), qui affirmat, idem valere orationem atque picturam, immo omnem naturae imitationem infra orationem consistere [1].

Sic, cum fere per certam gradationem augeatur sophistarum audacia, haud scio an etiam verisimilior reddatur, quam antea de tempore, cui hoc descriptionum genus originem debeat, feci coniecturam. neque haec refellitur eo, quod Suidas de Pamphilo quodam tradit, referens scripsisse eum *εἰκόνας*; nam id ipsum, quod addit *κατὰ στοιχεῖον* eas fuisse scriptas, ut Vrlichsius [2] rectissime monet, hominem Alexandrinum arguit, a quo certe longe abfuit sophistice describendi consilium, quod Bernhardyius [3] ei imputare studet.

Non longe autem a vero aberrabimus, si sophisticum consilium vindicamus Nicostrato rhetori Macedonico, cuius *εἰκόνες* a Suida s. v. laudantur. valde igitur dolendum quod nonnisi de stilo eius edocemur, qui tantum aequalium plausum excitavit, ut vel in alteram rhetorum decadem ipse reciperetur. laudatur autem praecipue eius simplicitas (*ἀφέλεια*) [4] tantum a tenuitate et ieiunitate remota, ut vel ab ipso Philostrato, quocum tribus locis componi-

φραστικὴν, μηδὲν ἀσθενέστερον, ὅσα βούλεται, δεικνύναι τῶν ἀνδρῶν, τῶν κατὰ χειρουργίαν δεινῶν.

Him. XXV, 1 p. 814 W.: *ὅσα γραφεῖς, καὶ λόγοι δύνανται· μᾶλλον δὲ μικροτέρα μίμησις πᾶσα πρὸς λόγους . . .*

1 Infimae aetatis ecphrastes rursus ad Luciani verecundiam redit cf. praef. ad ecphrasin horolog. (Chor. ed. Boiss. p. 149: *εἰ δὲ τούτων ἐλάττων ὀφθείη* (sc. *ἡ ἔκφρασις*) *καὶ τοῦτο τοῦ ποιήσαντος θαῦμα, ὅτι κρείττων γέγονε πράττων ἢ ψιλῶς εἰρηκότες ἡμεῖς.* cf. p. 128 *ἐγὼ δὲ λέγειν οἶδα μᾶλλον ἢ γράφειν.*

2 Mus. Rhen. XVI p. 251.

3 In Suid. s. v.

4 Cf. Dion. Hal. A. Rh. II, *θ'*. Hermog. de ideis. Rh. Gr. II p. 356, 23 et II p. 420, 9 ed. Speng.

tur [1], eius praedicetur venustas (ὥρα). quas dicendi virtutes vel in sophistica imaginum descriptione adhiberi posse, splendidum docet exemplum Luciani, qui, ut venustati orationis studet, ita abest ab ostentatione posteriorum, totum argumentum rhetorico fuco obruentium. sunt autem descriptiones, quas praefationibus [2] (λαλιαῖς) inserit ornamenta extrinsecus tantum afficta et tenui admodum filo cum argumento cohaerentia, unde etiam magis proprium et singulare decus commentariolis illas esse voluisse sophistam apparet.

De veritate eorum, quae describit artis operum, ut iam indole examinata dubitari vix queat, ita eo ipso, quod diserte nomina artificum proferat, omnis fictionis cogitatio excluditur. possit scrupulum remanere consideranti descriptiones, quae in praefatione περὶ τοῦ οἴκου [3] leguntur. sed, neque mirum est, picturas privatae domui insertas gravissimo nominum patrocinio carere, et imaginum per parietes accurata distributio nihil a sophista affictum esse verisimillimum reddit [4].

Difficilius est — nam breviores operum descriptiunculas et commemorationes, quae artificum plerumque nominibus laudatis [5] apud Lucianum haud raro comparent, hic omitto — de eis iudicare, quae non tam ostentationis quam testimonii causa afferuntur.

Possit huc referri Herculis Gallici imago, quam propter allegoricum argumentum iam supra recensui, praecipue

1 Suid. s. v. σύγχρονος Ἀριστείδου καὶ Δίωνος τοῦ Χρυσοστόμου ἦν γὰρ ἐπὶ Μάρκου Ἀντωνίνου τοῦ βασιλέως.

2 Dico nuptias Alexandri ab Aëtione pictas (Herodot. 4—6). Centaurum feminam lactantem (Zeux. 4—6.) Zeuxidis, Calumniam Apellis (cal. n. t. cr. 5).

3 De dom. 22 sqq.

4 Welcker. ad Philostr. p. LXV n. 6. Bluem. Stud. p. 53, p. 57 et 68.

5 Cf. Amores c. 13 sq. Philops. 18, al.

vero tabulae illae quatuor huc pertinent, quas Toxaris (c. 6) recenset. has picturas in Scythico illo templo non exstitisse, vix est quod moneam[1]. sed quod quatuor hic describuntur numero, parietibus sibi ex adverso positis insertae, suspicionem possit movere, Lucianum alias spectata ad Scythicas oras relegare. At non ea reprimenda erit suspicio voluisse eum hac ratione fictionis speciem evitare. confidentius damnare licet anaglyphum illud, hominem exhibens a dipsade circumplicatum, cuius cognitionem amico se debere affirmat[2]; certe ad ipsam de dipsadibus narrationem probandam inventum est, neque aliter de hoc anaglypho, quam de similibus cum artium operibus tum inscriptionibus iudicandum erit, quae apud scriptores inde ab Euhemeri aetate comparent sicubi narrata testimoniis ornare et confirmare placet[3].

Multa vero simul ingenia nova res ex temporis ipsius indole nata in novam arenam vocasse videtur et licet exaggeratum sit, quod narrat Lucianus in lepidissima commentatione, qua sui temporis rerum scriptores perstringit[4], ab aliquo scriptore totum volumen clipei imperatorii descriptione impletum esse, tamen certe probat, quanto opere vel historici rhetorum disciplina instituti huic orationis ornatui studuerint.

1 Argumentum tabularum ex Orestea depromptum; in ultima, de qua paullo est verbosior sophista, Orestes et Pylades cum Iphigenia e portu solvunt, Scythis aggredientibus navem. cf. de eis Bluemn. p. 85.

2 Bluemn. 82, 1.

3 De anaglypho Scytham cum arcu et libro exhibente (Scyth. 2) cum accurate locus describatur, ubi fuerit Luciani tempore, neque ego dubito, neque, quantum video, Iahnius addubitavit (Einl. z. Vasenk. not. 1083 p. CLIV) ut Bluemnero videtur p. 83.

4 Quom. hist. s. c. c. 19: *ἡ γοῦν ἀσπὶς ἡ τοῦ αὐτοκράτορος ὅλῳ βιβλίῳ μόγις ἐξηρμηνεύθη αὐτῷ.* Quae sequitur descriptio cum in universum totum hoc describendi genus perstringat, apte ex notissimis Homeri versibus expressa est. *Λ* 32 sqq.

Nec mirum est, eundem usum a rhetoribus latinis receptum esse. sic Apuleius, qui ubique Graecorum legit vestigia, ut est omnino ad describendum pronus[1], in floridorum cap. XV statuam describit, Sami a se spectatam, et ita describit, ut exquisita orationis dulcedine ipsius operis archaica, quam vocant, suavitate conspicui adaequare studeat venustatem[2].

Ceterum ipsum illud ex tempore dicendi studium quod illa aetate tanta laude dignum habebatur, tales descriptiones facile admittebat. poterat in eis cum auditorum tum rhetoris animus requiescere paullum et respirare simulque hic omnes elegantias et pigmenta ex areulis sophisticis expromere licebat.

Inde factum est, ut illius temporis scriptor longe gravissimus, Aristides, quem a se nunquam impetrare potuisse audimus, ut vanitati et ostentationi aequalium indulgeret, ab illo ornamento extrinsecus allato prorsus abstinuerit, neque Libanii sobrietas ei favit. minime vero rhetores aetatis etiam Constantinianae tales illecebras contempsisse Himerii exemplo probatur. quem solum fortasse — nam de Callistrato nihil certi adhuc contigit statuere — ex numero sophistarum illa etiam aetate florido stilo luxuriantium, relicum esse non adeo dolemus.

Servavit Photius ex suasoriae alicuius prooemio Occasionis Lysippeae descriptionem[3], non prorsus illam quidem accuratam, sed tamen ita conformatam ut, quin spectatae rei Himerius reddat memoriam, nequeat dubitari. exstat praeterea ecphrasis pictae tabulae per quatuor propempticae alicuius orationis fragmenta dispersa[4], quae, utrum ficta

1 Cf. Flor. I, 2 et 12 aquilae volantis et psittaci descriptionem.

2 Cf. statuam Mercurii ab eodem scriptore descriptam de Mag. 63.

3 Ecl. XIV, 1: *ἔχει δὲ ὧδέ πως, ὡς ἐμὲ μνημονεύειν; τὸ δαίδαλμα.* cf. O. Iahn. Ber. d. s. Ges. d. W. 1853. p. 41 sqq.

4 Ecl. XIII fr. 2–5.

sit, necne, ipso fine et initio misere mutilatis, nemo facile extricabit. potuit vel nominato artifice a comminiscendi licentia prorsus se excludere. repraesentatum fuisse Alexandri ex Graecia in Asiam traiectum, stante in regia nave Timotheo tibicine, verisimillima est Wernsdorfii coniectura, cum ex eis, quae praecedunt [1], tum ex tertio fragmento [2] collecta. ceterum in describendo multum fuisse rhetorem alterum fragmentum probat, quo maris color undaeque circa proram auri fulgore resplendentes minutius describuntur.

Decimam denique commemoraverim orationem, qua Iones advenas ad contemplanda Athenarum insignia invitat [3].

A sophistis ad Milesiarum fabularum conditores transiisse illud artium describendarum studium non mirabitur, qui illorum praecipue disciplina imbutos fuisse hos homines perpenderit.

Et de Achille Tatio, qui tres imagines affectata stili simplicitate et elegantia enarrat, iam nuper disputatum est a Feddio [4] et Kluegmanno [5]. ille commenticias eas habet, hic veras; certe argumenta, quae inde petit Feddius, quod ad ipsum fabulae contextum et ordinem descriptiones illas revocatas et excogitatas esse demonstrat, nequaquam satis valent, ut fictionis hominem convincant.

1 Fr. 1 p. 203 W. ... τὸν Τιμοθέου παρακαλέσας αὐλὸν, οὕτω γὰρ ἤχει μέγα καὶ τοσούτου βασιλέως ἄξιον, ὑπὸ τοῖς ἐκείνου μέλεσιν ἔλυε τοῦ στόλου τὰ πείσματα.

2 Πρῶτοι γὰρ Φρύγες αἰτίαν ἔχουσιν αὐλῷ τε ἐμπνεῦσαι, καὶ ταῖς τελεταῖς ἀναμῖξαι τὰ κύμβαλα.

3 Or. X, 2 p. 564 W.: ἐγὼ ξεναγήσω μὲν ὑμᾶς καὶ ἐπὶ τὰ μεγάλα τὰ τῶν πατέρων γνωρίσματα. δείξω μὲν ὑμῖν τὸν Μαραθῶνα ἐν τῇ γραφῇ καὶ τοὺς πατέρας τοὺς ὑμετέρους καὶ τὴν Περσῶν φορὰν δρόμῳ καὶ τομαῖς ἐλέγχοντας κτέ.

4 p. 45 sqq.

5 Ann. d. Inst. 1863 p. 113 sqq.

sane cohaerent cum ipsa narratione, sed tenuissimum vinculum vocandum est, quod in prima imagine, quae Europam exhibet tauro vectam, (I, 1) in pulcritudine constat, qua illa non minus quam ea ipsa mulier, quae primas fabulae sustinet partes, conspicua fuisse dicitur [1]. neque multo arctius altera tabula, quae Andromedae et Promethei repraesentasse dicitur liberationem (III, 6—8), contextui innexa est. inseritur imago ad ominandam miram Leucippes liberationem. at non liberatur haec vi, ut Prometheus et Andromeda, sed furto satis inepte excogitato (III, 22 et 23).

Iam, si ad ipsas nos converterimus descriptiones, tam egregie eas cum artis monumentis adhuc exstantibus congruere [2] inveniemus, ut non solum colores, sed etiam—quod in his descriptionibus, a quibus periegetarum fidem nemo exspectabit summum est — lineamenta ex veris artibus petita esse manifestum sit.

Tertia imago (V, 3, 4—8) Terei facinus duplici in tabula depictum exhibet. haec quoque tabula ad malum omen indicandum ab Achille Tatio profertur, sed nihilominus tantum abest, ut ad fatum Chaereae et Leucippes excogitata sit, ut tantum in universum contineat omina ἔρωτος παρανόμου, μοιχείας ἀναισχύντου, γυναικείων, ἀτυχημάτων (V, 4, 2). praeterea nemo semel monitus cum Brunnio [3] non agnoscet in tabulis ἀδελφαῖς accuratam figu-

1 Ach. T. I, 4, 3 τοιαύτην εἶδον ἐγώ ποτε ἐπὶ ταύρῳ γεγραμμένην Σελήνην.

2 Cf. cum Europae imagine picturam in Nasonum sepulcris detectam (S. Bart. 17), opus musivum ap. Turnb. coll. of anc. paint. t. 8. de pictura Andromedae exhibenti liberationem nuper disputavit Bluemnerus, qui conferens anaglyphum fictile apud Campanam (Opp. in pl. II t. 57) tabulam a Luciano (de domo 22. cf. Dial. Mar. XIV, 3) descriptam ad Euanthem refert, quem Achilles Tatius III, 6, 3 commemorat. quae ad Prometheum pertinent opera artis collegit Iahnius Arch. Beitr. p. 226 sqq.

3 Die Philostr. Gem. p. 236.

rarum distributionem, ita institutam, ut sibi invicem illae respondeant, quod casui non licet tribuere. in tabula autem prorsus ficta tale quid curasse scriptorem, nullo modo verisimile est. praeter hominum figuras tabula in oblicum ut videtur[1] ruens vesti a serva expansae ex artis ratione opposita fuisse videtur. quod Heliodorus (IV, 8) paucis laudat tabulae argumentum, ex artibus ductum esse, patet (cf. Mill. G. M. 96, 388). contra a Xenophonte Ephesio (I, 8, 2) num verum artis opus describatur, eo difficilius diiudicabitur, quod argumentum tapetis: amores ludentes et faculas tenentes, prorsus congruat cum apparatu sophistico, quem in oratione epithalamia expromere solebant[3].

Vel novissimis Byzantinae aetatis temporibus usum illum non desiisse, Eusthathii probat exemplum, qui descriptionibus longis et ineptis, plus semel legentium bilem movet. allegoricae sunt figurae virtutum, anni temporum, amoris. hic quoque dubitandum non est, obscuram spectatarum rerum memoriam recolere scriptorem; scimus enim tam frigidi argumenti picturas placuisse hominibus Byzantinis frequenterque ab eis fuisse exhibitas[4]. sed ut

1 Ach. T. V, 3, 8 *Τὸ σκέλος ἤρειδεν ἐπὶ τὴν τράπεζαν· ἡ δ' οὔτε ἕστηκεν οὔτε πέπτωκεν, ἀλλ' ἐδείκνυ ῥοπὴν μέλλοντος πτώματος.*

2 Non satis assequor, quid significet Welckerus descriptiones illas ita uti arte nullo modo adumbrari possent, compositas esse (praef. ad Ph. LXIII) dicens.

3 Cf. Menand. *περὶ ἐπιδεικτικῶν* III, 404, 18 Speng. *θάλαμος δὲ πεποίκιλται ἄνθεσι καὶ γραφαῖς παντοίαις, πολλὴν δὲ τὴν Ἀφροδίτην ἔχει. πείθομαι δὲ καὶ ἔρωτας παρεῖναι τόξα ἐντεινομένους, βέλη δὲ ἐφαρμόττοντας, φαρμάκοις πόθων τὰς ἀκίδας χρίσαντας, δι' ὧν τὰς ψυχὰς συγκυρώσουσιν ἀναπνεῖν ἀλλήλαις, ὑμέναιος δὲ ἀνάψει λαμπάδας ἡμῖν καὶ δᾷδας καὶ γαμήλιον πῦρ* — p. 405, 4 . . . *τὸν θάλαμον ἐκφράσεις δηλονότι κτέ.*

4 Cf. Doxopatri in Aphthonium homilias. Rh. Gr. II p. 512, 15 W.: . . . *ἀλλὰ καὶ αἱ τῶν πραγμάτων καὶ αἱ τῶν καιρῶν εἰκόνες, εἰ ἀνθρώπου φέροιεν σχῆμα, καὶ πολλάκις γὰρ θέρος γράφοντες ἢ εἰρήνην ἢ μάχην ἀνθρώπους ζωγραφοῦσιν.*

non verisimile est illam figurarum farraginem uni parieti illitam fuisse[1], ita cavendum est, ne Eusthathium anxie verarum imaginum lineamenta reddere voluisse putemus, licet hic quoque nexus, qui descriptionibus cum ipsa intercedit fabula, laxior sit.

Quamquam igitur nequaquam nego, descriptiones fictis fabulis insertas iam per se gravissimam movere suspicionem, tamen id concedendum erit, apud Achillem Tatium nullum certum argumentum, quo illa augeatur, suppetere.

Poterit fortasse dubitari, num quae in universum ex veris artibus ab eo ducta esse non dubitamus, omnia ad certas picturas, certo loco ab eo spectatas, sint referenda. et fateor suspicionem hinc oriundam, praecipue in frequentia argumentorum simili omnium modo tractatorum, qualia, I, 1 et III, 6 sqq. nobis depingit, locum habere[2]. Sed vereor ne hominis, quem novi quicquam invenire noluisse ipsa res probat, male prospiciamus commoditati, si undique eum disiiecta membra colligere, quam ad certam, quae praecipue memoriae inhaereret, tabulam, calamum dirigere maluisse, putamus. qua in re multa memoriae lapsui esse condonanda nequaquam nego. id autem ut in ceteros sic in hunc quoque valet fabulatorem, nihil antiquius eum habuisse in imaginibus illis verbose enarrandis, quam ut pannis longe lateque splendentibus perpetuitatem

1 Cf. Eusth. II, 7, 1 *μετάγομεν τοὺς ὀφθαλμοὺς ἐπὶ τὴν μετὰ τὰς παρθένους γραφὴν καὶ δίφρον ὁρῶμεν ὑψηλὸν καὶ λαμπρὸν καὶ ὄντως βασιλικόν.* ... IV, 4, 3 *καὶ μετὰ τὸν ἐμὸν Ἔρωτα τὸν ἐφ' ὑψηλοῦ τοῦ δίφρου καθήμενον ἄνδρας ὁρῶμεν ἀλλοφύλους κτἑ.*

2 In picturis Europam, Andromedam, Prometheum exhibentibus, alteri nomen pictoris additum est, quod Brunnius II, 288 in catalogum artificum recepit, sed fateor fictionis suspicionem a Feddio scite ex ipso nomine petitam a Kluegmanno non remotam mihi videri.

fabularum distinguerent. possumus autem eo confidentius affirmare, Achillem saltem verarum artium recolere voluisse memoriam, cum praeter Lucianea huius generis figmenta, vel apud praestantissimum Milesiarum conditorem in promptu sit descriptio, quae, ut indolem prorsus diversam ab illis prodit, ita hosce scriptores, si fingere eis placuerit, verisimilitudinem non adeo curasse, probat.

Ita enim apud Longum [1] picturae Lesbiae describitur argumentum, ut de vera tabula omnino cogitari nequeat, nihilque sophistam nisi commodum narrationi introitum parare voluisse, appareat. mirum est, ipso artis usu decrescente, crevisse describendarum artium furorem, cui nemo puerilius indulsit quam Eusthathius.

Sed plerumque homines Byzantini non iam Graeci *φιλόκαλοι*, sed barbari *φιλόπλουτοι* non tam artem quam materiam laudant. Hinc splendent, auro marmore opere musivo illae *ἐκφράσεις* [2], quibus Paulus Silentarius templum Sophiae Constantinopolitanum non tam describit quam praedicat. Choricius quoque duabus orationibus [3], quas in Marciani laudes composuit longas templorum descriptiones infarsit.

Neque tamen statuariae picturaeque prorsus neglecta sunt opera, et ut Choricius in priore earum quas laudavi orationum longum picturarum parietibus templi illitarum instituit recensum, sic Christodorus Zeuxippi *ἔκφρασιν* versibus heroicis inclusit, modo breviter statuas enumerans, modo sophisticae artis elegantiis descriptiones dilatans. hinc rursus in rerum scriptores simile studium derivatum est, qui vel recentissima aetate, in describendis artium operibus sophisticum nequaquam spernunt colorem [4].

1 Long. praef. p. 1 sq.

2 *Ἔκφρασις τῆς μεγάλης ἐκκλησίας* et *ἔκφρασις τοῦ ἄμβωνος.*

3 Cf. Choric. ed. Boiss. p. 83 sqq. (*εἴπερ ἃ βλέπειν ἡδὺ, τούτων ἀκροᾶσθαι τερπνόν*) et p. 114 sqq.

4 Cf. Cedren. I p. 565: Descriptio Anemodulii; Nicet. Chon.

Multa praeterea alia, quae admirabantur, Byzantini descriptionibus celebrabant. exstat inter Choricii reliquias horologii cum multis aliis figuris tum Herculis duodecim laboribus ornati, accurata descriptio [1] eiusque civis Ioannes Gazaeus in describenda tabula [2] geographica Gazae aut Antiochiae spectata inepte bacchatur. maiorem praestat utilitatem picturae alicuius descriptio [3] a Choricio confecta, quam una cum horologii illius descriptione Angelus Maius ex codice Romano protraxit. fictionis suspicio, cum ipsum autorem imaginis nominatim proferat, prorsus exclusa est, neque continet pictura compluribus areis inter se iunctis composita, quae penicillo reddi non possint.

Pictus fuit in prima area Theseus lectulo recubans adstantibus Somno et servulis somno occupatis. altera ex parte Phaedra sedet amore vesano vexata contemplans imaginem Hippolyti leonem venantis, qua epistylium porticus est ornatum. adsunt amores excitantes reginam, quam nutrix alloquitur, cum duae ancillae de animi quam hera prodit perturbatione inter se confabulentur, tertia mundum afferat. in altera area, quam contiguam fuisse antecedenti statuere debemus [4], Hippolyto et Daphne praesenti-

p. 856, 19 sqq. imprimis vero p. 863, 3 et 865, 5 sqq. — cf. p. 783, 13 sqq. ubi in cod. Monac. B paraphrasis exstat statuae alicuius Minervae descriptionis.

1 Choric. ed. Boiss. p. 149 sqq. talium operum artificiosorum usus inde ab aetate Iustinianea increbruisse videtur. cf. praeter notam Boissonadii ad p. 149, epigrammata Anth. Pal. IX. 779—782.

2 Edidit eam post ἐκφράσεις Pauli Silent. Graefius p. 80 sqq. cf. praeterea putealis descriptionem apud Eusth. I, 5 et Nicet. Eugen. I, 90 sqq. (erot. scr. ed. Herch. II p. 440.)

3 Iterum eam typis exarandam curavit Boissonadius in editione Choricii p. 156, sed nihil fere contulit ad textum miserrime habitum restituendum. ita fit ut plurimis locis vix divinare liceat, quid voluerit scriptor.

4 Chor. Boiss. p. 164: *Ἀλλ', εἰ δοκεῖ νῦν, ὦ φιλότης, τῶν βασιλείων προελθόντες σὺν Ἱππολύτῳ θηράσωμεν.*

bus, nutrix, quae epistolam amatoriam tradiderat, punitur. Genua flectenti servus clavae plagam minitatur, quam alter misericordia motus bracchio excipere studet. de monte, qui in tabulae parte remotiore pictus erat, venatores, pastores, mulieres rem observant. Duabus his imaginibus pictura superimposita erat argumentum ex tertio Iliadis libro haustum continens, quam ita describit Choricius, ut per quinque [1] areas distributas scenas cogitare debeamus. recentissimae est aetatis Constantini Manasses ἔκφρασις lithostromatis rotundi [2], unde Manuelem Philem argumentum petiisse versuum, quibus Telluris [3] imaginem perse-

1 Prima area exhibet Priamum cum Antenore advectum. altera ipsum regis adventum in castra Troiana p. 170, 5—25; tertia pugnam hastis commissam, (id quod, licet non accurate distinctae sint res, probare videntur verba Vlixis clamantis, p. 171, 1 *Βάλλε τὸν ἄνδρα δι' ὃν Ἑλένης χηρεύεις, δι' ὃν ἐπλανώμεθα*) quarta Paridem prostratum galeaque arreptum a Menelao Venere adstante a tergo et clam vinculum solvente. quintae argumentum haec ipsa est dea Helenam Paridemque ad torum conducens. Brunnius (Bullett. dell' Inst. 1849 p. 61 sq.) hunc thalamum ei scenae respondisse opinatus, quae exhibebat Theseum et Phaedram, inter Paridis quoque nutricisque punitionem eandem rationem intercedere arbitratur. qua in re duas tantum novissimas descriptionum partes respiciens, quae in antecedentibus leguntur, aut reiicit, aut cum his commiscet (sic Priami adventum in monomachiam Paridis infert: i cacciatori a cavallo corrispondono forse alla quadriga, che porta Priamo sul luogo del combattimento). sed cum iam nullum sit indicium, rhetorice illas partes esse affictas, et ipse sophista brevitate descriptionis indicare videatur multo minores fuisse superiores quam inferiores, haud scio an Brunnii coniectura probari non possit. praeterea, licet aliquid speciosi habeat similitudo quae inter Paridis nutricisque intercedit punitionem, tamen thalamus Troianus, qui tres continet figuras, nullo modo convenit regiae Atheniensi, ubi duodecim fere comparent.

2 Publici eam iuris fecit Hercherus in Memor. dell' Inst. II p. 491 sqq.

3 Edidit eam et enarravit Starkius in commentariolo de Tellure Dea. Ien. 1848.

quitur, vix dubium esse potest. agmen claudunt *ἐκφράσεις* imaginum a Marco Eugenico Philostrateis coloribus depictae, quas Kayserus fragmentis libri *περὶ γυμναστικῆς* a se editis [1] subiunxit. sacri sunt praeter eam, quae novissima legitur, argumenti.

Apparet saltem ex hisce frustulis, quibus tempus pepercit, quantopere hominibus Byzantinis talia placuerint, qua de causa non mirum videbitur id quod comperimus, iam pueros cum ad aliarum rerum, tum ad artium descriptiones instituendos eos curasse. licet autem iam primo statim tempore, ex quo '*ἔκφρασις*', a compluribus technicis prorsus explosa [2], inter praeexercitamenta rhetorica recepta fuerat, nonnunquam ab artium operibus argumenta petierint, tamen a Byzantinis demum huius generis *ἐκφράσεις* receptae sunt inter exempla quae discipulorum studio commendare solebant. fortasse vetustioribus nimis otiosum videbatur, huiuscemodi nugis vires exercere, cum, quae proferunt exempla, omnia usum rhetoris cotidianum redoleant [3]. itaque non ante Nicolaum quinto p. Chr. natum saeculo progymnasmatum concinnatorem, praecepta ad artium descriptionem pertinentia comparent [4]. is primus in describendis statuis et imaginibus,

1 Philostratei libri de gymnastica, quae supersunt ed. Kayser. Heidelb. 1840. p. 129 et praef. p. XIII.

2 Hermogenes Spengelii (Rh. Gr. II p. 17, 1): *ἰστέον δὲ ὡς τῶν ἀκριβεστέρων τινὲς οὐκ ἔθεσαν τὴν ἔκφρασιν εἰς γύμνασμα, ὡς προειλημμένην καὶ ἐν μύθῳ . . . . ἐπειδή τινες οὐ φαῦλοι καὶ ταύτην ἐγκατηρίθμησαν τοῖς γυμνάσμασιν, ἠκολουθήσαμεν καὶ ἡμεῖς ῥᾳθυμίας ἔγκλημα φεύγοντες.*

3 Commendantur ecphrases *προσώπων* (cf. Menand. Sp. III, 404, 8 et 405, 30 sq.) *πεζομαχίας καὶ ναυμαχίας* (cf. Dion. Hal. A. Rh. XI, 17) *λιμένων* (cf. Men. enc. III, 383, 15) *ἔαρος καὶ θέρους* (Men. enc. III, 408, 9 sqq.) *ἑορτῆς* (cf. Men. enc. III, 445, 1).

4 Non indagare contigit unde habeat Bernhardyius, quae de huius generis exercitamentis profert in histor. litter. p. 524 (p. 607 ed. tertiae).

semper causam addendam esse praecipit[1], cur hunc vel illum in modum artifex opus instituerit, in humana vero figura enarranda a capite ad pedes esse descendendum, quod praeceptum ex eo, quod Aphthonius dat de προσώπων descriptione, expressum esse primo statim aspectu patet[2]. ad hanc fere normam omnes statuarum ἐκφράσεις factae sunt, quae inter praeexercitamentorum farraginem aetatem tulerunt, tam religiose receptum semel ordinem servantes, ut haud facile sinistri ante dextri lateris membra enumerentur. quo fit, ut, quamquam sophisticae orationis lumina frequenter exsplendescunt, nihil hoc scribendi genere inveniatur sterilius. omnes eandem indolem produnt, quae cum prorsus conveniat eis quae modo recensuimus praeceptis, cumque accedat librorum testimonium[3], nihil obstare videtur, quominus ipsum Nicolaum auctorem habeamus. certe titulus vulgaris ad quem facile propter nominis claritatem potuerunt referri, prorsus est reiiciendus. statuarum illas descriptiones[4], quantum omnino rem persequi licet, ad vera artium opera esse referenda multaque tantum propter miseram textus conditionem obscura videri non dubito. neque, quae hinc inde subnasci possit su-

1 Cf. Nicol. Soph. ex scholiasta ad Aphthonium protractum, Speng. Rh. Gr. III praef. XXV et p. 492, 10: *δεῖ δέ, ἡνίκα ἂν ἐκφράζομεν καὶ μάλιστα ἀγάλματα τυχὸν ἢ εἰκόνας, . . . πειρᾶσθαι λογισμοὺς προστιθέναι τοῦ τοιοῦδε ἢ τοιοῦδε παρὰ τοῦ γραφέως ἢ πλάστου σχήματος κτέ.*

2 Aphth. Sp. II p. 46, 25: *ἐκφράζοντας δὲ δεῖ πρόσωπα μὲν ἀπὸ τῶν πρώτων ἐπὶ τὰ τελευταῖα ἰέναι ....*
....
τουτέστιν ἀπὸ κεφαλῆς ἐπὶ πόδας.

Nicol. ed. Sp. 492, 18: *ἀρξόμεθα δὲ ἀπὸ τῶν πρώτων, καὶ οὕτως ἐπὶ τὰ τελευταῖα ἥξομεν· οἷον εἰ ἄνθρωπαν χαλκοῦν ἢ ἐν γραφαῖς ἢ ὁπωσοῦν ἔχομεν ἐν τῇ ἐκφράσει ὑποκείμενον ἀπὸ τῆς κεφαλῆς τὴν ἀρχὴν ποιησάμενοι βαδιοῦμεν ἐπὶ τὰ κατὰ μέρος.*

3 Cf. Rh. Gr. ed. Walz. I p. 265.

4 Cf. Liban. ed. Reiske IV p. 1066 sqq. p. 1081 sqq. p. 1113 sqq. et Nicol. apud Walz. Rh. Gr. I p. 394 sqq.

spicio, miris illis putidisque argutiis, quibus distinguitur oratio, rem ipsam accommodatam esse a scriptore, satis firmum unde proficiscatur habet fundamentum; accuratius enim singula perpendentes rei per se simplici et planae obtrusas esse illas argutiolas plerumque intellegemus. sic, cum nihil sit rei convenientius in statua Troianae mulieris iacentis, quam alterum pedem a terra levari et extra basin paullum prominere, non a se impetrare potest sophista, quin hunc in modum hallucinetur (Lib. ed. Reiske IV p. 1094, 23) οὐ γὰρ ἦν τοῖν ἀμφοῖν ἐπιβαίνειν ποδοῖν, τὴν ἐπιβῆναι πατρίδος οὐκ ἐχουσαν[1]. accedit, quod omni dubitatione exemtum sit, nonnullas descriptiones ad artis opera pertinere, quorum etiamnunc exemplaria exstant. sic similitudo, quae inter ecphrasin Herculis clavae innixi (Lib. IV, p. 1066) nobilemque intercedit statuam Farnesinam, vel primo obtutu patet. egit de hac re Petersenius[2] quatuor

1 Offendit in hac re Overbeckius Gal. her. Bw. p. 617, qui figuram hanc non ex artis lege factam esse iudicat. Mihi non multum differre videtur a Provinciarum captarum figuris, quales in numis gemmisque Caesarum saepius inveniuntur cf. Müller-Wies. I Tf. LXVII N. 364 et N. 378. Tf. LXIX. idem Gal. p. 663 de statua Neoptolemi interficientis Polyxenam addubitat, sed causas dubitationis omnino non protulit. certe in argutiolis, quibus sophista rem exornare sibi videbatur non erat offendendum. eiusdem sunt generis atque in descriptione praecedentis statuae, quae leguntur de Neoptolemo ap. Lib. p. 1088, 16 sqq.; cf. 1084, 24 sqq.; 1085, 29. 1116, 1 sqq.

2 Cf. de Hercule: comment. de Lib. II p. 13 sqq., qui quamquam iusto fusius de re per se plana atque perspicua disputat, tamen non animadvertit (cf. p. 24) pedum positionem prorsus inversam esse. sed hoc negligentiae sophistae imputandum erit. — item Promethei vincti statua, si locum exceperis corruptissimum, qui est de manibus Titanis, plane convenit cum nota sarcophagi Capitolini figura (cf. Müller-Wies. II Tf. LXV N°. 838b); Peters. comm. III p. 11 sqq. et Iahn. Arch. Beitr. p. 228; de Hercule aprum portante (Lib. 1068 = Nic. p. 410) cf. Peters. comm. III p. 4 sqq.; de Iunonis pronubae statua (Lib. 1086) cf. Peters. II p. 6; de Minerva (Lib. 1114)

commentationibus Hafniae editis. hinc reliquarum quoque descriptionum, ubi monumentorum comparatio non iam in promptu est, fidem confirmari, cum nihil saltem contineant quod artis legibus repugnet nemo non videt. neque, quae exstant sub nomine Libanii picturarum *ἐκφράσεις* tres, prima [1] et secunda [2] rustici venaticique, tertia [3] Troici argumenti scrupulum movent. exstant denique inter illa progymnasmata templorum aedificiorumque descriptiones [4], quibus maxime luxuriabantur homines Byzantini [5].

Iam cum ad finem huius recensus perventum sit, concedendum videtur vetustiores sophistas, quibus Callistratus quoque adnumerandus est, quem a Philostratis separare nolui, artis operum vestigia legere solitos fuisse, exceptis eis locis facile perspiciendis, quibus sententiam aliquam graphice illustrare placuit.

cf. Peters. comm. II p. 12 sqq. — non sine causa Herculis et Antaei lucta difficillimae tractationis argumentum (cf. p. 1086, 2 *πόνους δὲ ἄρα Ἡρακλέους οὐκ ἦν ἔξω πόνων διελθεῖν*) bis inter illa praeexercitamenta comparet. cf. de hac re Peters. comm. IV p. 1 sqq. cum ea descriptione, quae novissima legitur apud Lib. IV p. 1120 *Ἀλεξάνδρου τοῦ κτίστου* apte componitur: *ἔκφρασις τοῦ Αὐγουστεῶνος*, quae inter Georgii Pachymeris (Walz. Rh. gr. I p. 578) exstat Iustiniani statuam equestrem exhibens.

1 IV p. 1048.

2 IV p. 1057. similis est haec tabula argumenti atque ea, quam tertio capite Philostratus Iunior describit. huius generis imagines vel recentissimis Byzantinae aetatis temporibus pingi solebant. cf. Nic. Chon. ed. Bonn. p. 433.

3 IV p. 1056. cf. Peters. comm. IV p. 12, qui mutilam esse descriptionem probare studet.

4 Cf. Aphthonii descriptionem arcis Alexandrinae (Speng. Rh. gr. II p. 47, 9 sqq.) Nicolai descript. Tychaei (Lib. IV, 1113 = Nic. p. 408) Anonymi ecphrasin: *τοῦ ἐν τῷ βαπτιστοῦ σεμνείῳ τεμένους τοῦ τὴν κολυμβήθραν περιέχοντος*. (Walz. Rh. Gr. I p. 638 sqq.)

5 Cf. Photii tumidam descriptionem templi Virginis a Bekkero cum Codino editam (ed. Bonn. p. 194 sqq.): multa alia huius generis, sed indole sophistica prorsus destituta, exstant apud Bandurium Imp. or. I.

Sed, ne citius quam certius ad bonam de Philostrateis imaginibus erigamur exspectationem, monendum est non easdem his atque illarum descriptionum auctoribus in describendo suppetiisse conditiones. pars enim eorum non sibi tantum, sed etiam artifici[1] aut urbi ubi proposita erant illa opera, aut donatori[2] laudem quaeritantes, externis ut ita dicam indiciis fidem suam obligant, id quod non item cadit in Philostratos. non iam hoc loco quaestio instituenda est, nec cur nomina artificum non protulerint nec cur Senior tot nobilissimis pinacothecis patentibus ad ignotam illam Neapolitanam se converterit, Iunior omni re externa indicanda abstinuerit. modo id constet, neque certorum pictorum laudi eos studuisse, et vel Seniorem conscium sibi esse potuisse, imagines porticus illius curiositati legentium — si qua fuit — prorsus subductas esse, nam neque tam rarae fuerunt pinacothecae a privatis hominibus consutae[3], neque considerantem, quae de situ et incolis urbis praemonenda ducit, fugere potest, loco satis a Neapoli remoto commentariolos illos prodiisse[4]. quid autem? nonne complures aliae exstant descriptiones externo illo fidei pignore prorsus destitutae, quas ad vera artium opera factas esse negare non poteramus: descriptiones dico fabulis Milesiis insertas easque quae praeexer-

1 Cf. Luc. Zeux. 3. Herodot. 4. Cal. non tem. cred. 4. Him. ecl. 14.

2 Apul. flor. 15. Chor. Boiss. p. 86. p. 172. Luc. de dom. cf. Welcker. praef. ad Philostr. p. LXV.

3 Recte id monet Brunnius l. l. p. 194 contra Prellerum (Polemo p. 198) et Passowium (Verm. Schr. p. 227) qui, quod memoria huius porticus apud alios scriptores non invenitur, de tota re addubitant. pinacothecas vel a privatis hominibus satis frequenter consutas fuisse, probant loci collecti a Friedlaendero: Ueber den Kunstsinn d. Römer p. 33 sq. cf. Philostr. V. Ap. 94, 10.

4 P. 379, 20 Kays. ἡ δὲ πόλις ἐν Ἰταλίᾳ ᾤκισται γένος Ἕλληνες καὶ ἀστικοί, ὅθεν καὶ τὰς σπουδὰς τῶν λόγων Ἑλληνικοί εἰσι. Kayserus praef. p. V Athenis conscriptas esse imagines Senioris Philostrati coniicit, ubi sophistarum artem eum exercuisse ex Suida constat.

citamentorum inter exempla exstant? sed indole et consilio a Philostrateis diversae sunt. nam ut progymnasmatum scriptores nihil aliud curant, quam ut descriptiones putide accuratas et scholastici rigoris schemati accommodatas ante oculos sistant, sic Achilles Tatius quoque in eo maxime laborat, ut non solum venustam, sed etiam dilucidam et perspicuam rerum descriptionem condat. hinc cohibita fuisse ingenia non est, quod miremur. nec tam quod religione quadam moti ficta proferre noluerint, quam desidia quadam et inertia imaginationis commentis homines illos abstinuisse putaverim.

Philostrati contra iam eo, quod periegetarum instar tabulas interpretantur, eam sibi paraverunt commoditatem, ut imagines ipsas ante legentium oculos obversari simulantes [1], non solum de forma et magnitudine tabularum — de qua re iniquius questi sunt v. v. d. d. [2] — sed etiam de dispositione totius argumenti dicere iure potuerint supersedere. Welckerus quidem (p. LXVI praef.) id ipsum fidem Philostratorum confirmare censet, quod digitum tabulis nunquam intendant, id enim fieri debuisse, si confingendis picturis operam dedissent. audio, sed iam si sumimus fingere eos voluisse, quo iure tantam statuamus hominum religiositatem et accurationem [3], ut sibi ipsi de disppositione rerum accuratam rationem reddidisse putandi sint, non intellego. certe delectationi tantum legentium prospicientes, non speraverunt futuros esse qui nugas suas severe examinarent. sed iam patet longe aliud eos vo-

1 Manifestum ineptae huius simulationis exemplum exstat in imagine XIII Iunioris p. 17, 6 ed. Kays. cf. Welck. ad Phil. p. 657: *sophista, dum constanter simulat, auditori se quasi manu intenta in tabulis singula demonstrare, oblitus iam in hoc esse videtur, re vera se scribere non spectantibus.*

2 Passow. p. 231. Kayserus p. 4. a quo probro defenderunt Philostratos ipse Friederichsius p. 6 et Brunnius p. 195 et p. 197.

3 Cf. Iac. praef. XVI. Brunnium l. l. 238 sqq.

luisse quam archaeologorum satisfacere curiositati. Senior Philostratus, ut in V. Ap. eam praecipue sibi sumpsisse dicit operam [1], ut Damidis stilum incultum et agrestem refingeret in Imaginum praefatione nihil se in hoc volumine antiquius habuisse affirmat [2], quam ut adolescentulis probati sermonis exempla proponeret. haec praecipue fuit causa, quae maximam ei apud aequales et apud posteritatem comparavit laudem [3]. vestigia avi legit Iunior Philostratus, qui item nihil aliud praedicans, quam verborum delectum et enuntiatorum venustatem ac vigorem [4], haec sibi imitanda sumit. atque idem habuisse videtur consilium Callistratus, perpetuus ille in omnibus editionibus inde a principe Philostratorum socius. is quoque etsi non periegetae partes se suscipientem simulat, sed spectata quondam — id enim affirmat — adolescentulis proponit [5], non tam describit statuas, quam verborum flumine submergit. quamquam in eo, ut dixi,

1 V. Ap. p. 3, 2 sqq.

2 P. 379, 17 ὁ λόγος δὲ οὐ περὶ ζωγράφων, οὐδ' ἱστορίας αὐτῶν νῦν ἀλλ' εἴδη ζωγραφίας ἀπαγγέλλομεν ὁμιλίας αὐτὰ τοῖς νέοις συντιθέντες, ἀφ' ὧν ἑρμηνεύσουσί τε καὶ τοῦ δοκίμου ἐπιμελήσονται (de v. ὁμιλίας cf. V. Ap. 49, 4. de v. δοκίμου cf. V. Ap. 8, 10 et V. S. 274, 20).

3 Cf. Menand. d. encom. Rh. Gr. ed. Speng. III p. 389, 30: ὅταν μὴ τραχείᾳ χρώμεθα τῇ ἐξαγγελίᾳ μηδὲ περιόδους ἐχούσῃ καὶ ἐνθυμήματα, ἀλλ' ὅταν ἁπλουστέρα τυγχάνῃ καὶ ἀφελεστέρα, οἵα ἡ Ξενοφῶντος καὶ Νικοστράτου καὶ Δίωνος τοῦ Χρυσοστόμου καὶ Φιλοστράτου τοῦ τῶν Ἡρωικῶν τὴν ἐξήγησιν καὶ τὰς Εἰκόνας γράψαντος ἐρριμμένη καὶ ἀκατασκεύαστος. cf. p. 411, 32. Photius cod. XLIV et CCXLI. recentissima denique aetate Moschopulus verborum Atticorum eclogam ex Philostrati illo volumine confecit cf. Kayser. praef. p. VI n. 11.

4 P. 5, 5 ἐσπούδασταί τις γραφικῆς ἔργων ἔκφρασις τῷμῷ ὁμωνύμῳ τε καὶ μητροπάτορι λίαν ἀττικῶς τῆς γλώττης ἔχουσα ξὺν ὥρᾳ τε προηγμένῃ καὶ τόνῳ.

5 Cf. p. 29, 7 τοῦτον θαυμάσας, ὦ νέοι, τὸν Νάρκισσον καὶ εἰς ὑμᾶς παρήγαγον εἰς Μουσῶν αὐλὴν ἀποτυπωσάμενος.

diversus est a Philostratis, quod neque artificum nobilium neque locorum, ubi exstant, opera nomina celat. qui si nihilominus interdum aliquid affinxisse putandus est [1], quid de Philostratis erit iudicandum, qui nusquam fidem suam obligaverunt, neque in statuis versantur, quae propter materiae rationes imaginationem adstringunt, sed in picturis, quae licentiae multo latiorem fingendi campum patefaciunt: tanto latiorem, quanto liberior est usus penicilli quam scalpri.

1 Agnovit tale additamentum ex poetis procul dubio petitum Welckerus (cf. praef. p. LXXI) in Orpheo Callistrati p. 30, 20 (Iac. p. 154, 26). res confirmata et meo iudicio extra omnem posita est dubitationem a Friederichsio Nachtr. p. 167 sqq. ceterum quod ad verborum attinet delectum idem persecuntur trium horum opusculorum auctores consilium atque eiusdem fere aetatis Atticistae lexicorumque concinnatores, forma insuper grata et eleganti puerorum *ingenia allicientes.* non enim sine causa puerulum inducit decem annorum (p. 386, 6), cuius ingenium non iam severiore sophistarum disciplina imbuendum (cf. Weber. de academ. Litt. Ath. p. 26. Marb. 1858) sed criticis, quas vocabant exercitationibus (cf. Kayser. praef. p. III) instituendum erat. frequens autem erat talium scriptorum usus, quorum lectione studio veterum scriptorum supersedere se posse putabant. cf. Luc. Rh. pr. c. 17 *ἀλλὰ καὶ ἀναγίγνωσκε τὰ παλαιὰ μὲν μὴ σύ γε, μηδ' εἴ τι ὁ λῆρος Ἰσοκράτης, ἢ ὁ χαρίτων ἄμοιρος Δημοσθένης, ἢ ὁ ψυχρὸς Πλάτων, ἀλλὰ τοὺς τῶν πρὸ ἡμῶν ὀλίγον λόγους, καὶ ἃς φασι ταύτας μελέτας, ὡς ἔχῃς ἀπ' ἐκείνων ἐπισιτισάμενος ἐν καιρῷ καταχρήσασθαι, καθάπερ ἐκ ταμιείου προαιρῶν.*

FRIDERICVS MATZ DE VITA SVA.

Natus sum Lubecae XV Cal. Nov. a. h. s. XLIII patre Carolo, matre Mathildi de gente Kruegeriana. Duodecim annos natus in gymnasium patriae urbis receptus sum, quod Breiero rectore florebat et floret. Ibi praeter hunc virum optime de me meritum praecipue Baumeisterus, Mantelsius, Prienius litterarum in me excitaverunt amorem. Verno tempore anni LXIII Bonnam adii philologicis studiis operam navaturus. Per novem sex menses ibi commoratum, docuerunt me Bernaysius, Brandisius, Bremerus, Diezius, Iahnius, Maurenbrecherus, Ritschelius, Schaeferus, Schopenus, Simrockius, Springerus, Vsenerus. Wachsmuthius. Praeterea interfui philologicis exercitationibus, quibus Wachsmuthius et Reifferscheidius praeerant, dum Iahnii Ritscheliique erga me benevolentia factum est, ut in seminarium philologicum reciperer, in quo per ter sex menses illorum virorum, unum vero semestre praeter Iahnii, Vseneri saluberrima fructus sum disciplina. Archaeologicis studiis Iahnio duce operam navavi, qui per duo annos seminarii sui seniorem me esse voluit. Vt epigraphicis exercitationibus interéssem benigne Ritschelius concessit, Springerus denique me admisit ad societatem qua recentioris artis opera enarrabat. His viris omnibus, quibus debeo quidquid praestitero gratias ago quam maximas praecipue vero cum Ritschelii tum Iahnii et Springeri sempiterna apud me erit memoria.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I. Verba Luciani in Rh. praec. c. 15 sic refingenda sunt ἡ ἐσθὴς δὲ ἔστω εὐανθὴς ἢ καὶ λευκή, ἐρεᾶ (codd: ἔρνα ἔρια) τῆς Ταραντίνης ἐργασίας.

II. Eur. Ion. v. 1188 (ed. Nauck) pro παιδὶ τῷ πεφηνότι legendum est παιδί τῳ κεχηνότι.

III. Liv. XXVII lacunam initio cap. 19 statuo, hunc fere in modum explendam: Hasdrubal iam antequam dimicaret, *si victus foret in Italiam transgrediendum esse ratus*, pecunia rapta e. q. s. (cf. Polyb. 37, 4.)

IV. In Musc. encom. Luciani c. 9 pro πλάνητα τὴν πτῆσιν legendum est πλάνητα τὴν οἴκησιν.

V. Cic. pro Mil. c. 12: Fragmentum *an huius ille legis — reprehensio est* perverse in mediam § 33 infarcitur, cum in lacunam ante § 34 palimpsesto Bobiensi indicatam inserendum sit.

VI. Verba Menandri in libro de encomiis (Rhett. Gr. ed. Spengel. p. 340, 16) sic transponenda sunt: χρὴ τοίνυν, εἰ μὲν παρεμπεπλεγμένον εἴη τοῖς ἄλλοις εἴδησιν, εἰδέναι ὅτι βραχείας δεῖται διατριβῆς, εἰ δὲ καθ' αὑτὸ εἴη τὸ μέρος ὅτι καὶ μῆκος προσίεται.

VII. Scholium ad Theocr. idyll. VII v. 21 recisis quae praecedunt, sic emendandum est: φασὶ δὲ ἔνιοι (codd: τὸν τοιοῦτον) ἀπὸ πατρῴου κληθῆναι Σιμιχίδου κτἑ.

VIII. Artemidorus grammaticus non bucolici tantum argumenti idyllia collegit, sed iam usus est notione bucolici carminis latius patente.
